Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



CAN

cens pranceollos. En dilectus meus
loquitur mihi. Surge, propera amica
mea. columba mea. formosa mea. et
veni. Jam enim hyems transiit. imber
abiit et recessit. flores apparuerunt
in terra nostra. tempus putationis adpetit.
vox turturis audita est in terra nostra.
ficus protulit grossos suos. vinea flo
rentes dederunt odorem suum. Surge
amica mea. speciosa mea. et veni.
columba mea in foraminibus petre
in cavernam macerie. ostende mihi
faciem tuam. sonet vox tua in au
ribus meis. Vox enim tua dulcis. et fa
cies tua decora. Capite nobis vulpes
parvulas que demoliuntur vineas.
nam vinea nostra floruit. Dilectus
meus mihi et ego illi. qui pascitur
inter lilia. donec aspiret dies. et re
clinentur umbre. revertere similis
esto dilecte mi capreo. hinnulo do
rcas super montes bethel. III.
In lectulo meo per noctes quesivi quem
diligit anima mea. quesivi illum et
non inveni. Surgam et circuibo ci
vitatem. per vicos et plateas. quere
quem diligit anima mea. quesivi
illum. et non inveni. Invenerunt
me vigiles qui custodiunt civita
tem. Num quem diligit anima mea
vidistis. Paululum cum pertransisse
eos. invenerunt quem diligit anima
mea. tenui eum nec dimittam. do
nec introducam illum in domum
matris mee. et in cubiculum genetricis
mee. Adjuro vos filie hierusalem. per
preas cervos et per cervos camporum. ne suscitetis
neque evigilare faciatis dilectam.
donec ipsa velit. Que est ista que
ascendit per desertum sicut virgula fu
mi. ex aromatibus myrre et thuris.
et universi pulveris pigmentarii. En
lectulum salomonis sexaginta fortes
ambiunt ex fortissimis israel. omnes
tenentes gladios. et ad bella doctis
simi. Unicuique ensis super femur suum.
propter timores nocturnos. ferculum
fecit rex salomon de lignis libani.
Columpnas eius fecit argenteas. reclinatorium aureum. ascensum
purpureum. media caritate constravit
propter filias hierusalem. Egredimini filie
sion et videte regem salomonem in
diademate quo coronavit eum mater
sua. in die desponsationis illius. et
in die letitie cordis eius. IIII.
Quam pulchra es amica mea.
quam pulchra es. oculi tui
columbarum. absque eo quod intrin
secus latet. Capilli tui sicut greges ca
prarum. que ascenderunt de monte gala
ad. Dentes tui sicut greges tonsarum
que ascenderunt de lavacro. Omnes
gemellis fetibus. et sterilis non est in eis.
Sicut vitta coccinea labia tua. et
eloquium tuum dulce. Sicut fragmen
mali punici. ita genae tue. absque eo
quod intrinsecus latet. Sicut turris da
vid collum tuum. que edificata est
cum propugnaculis. Mille clipei pen
dent ex ea. omnis armatura forti
um. Duo ubera tua sicut duo hi
nuli capreae gemelli. qui pascuntur
in lilis. donec aspirent dies. et re
clinentur umbre. Vadam ad montem
myrre. et ad collem thuris. Tota pul
chra es amica mea. et macula non est
in te. Veni de libano sponsa mea.
veni de libano. veni coronabis de
capite amana. de vertice sanir et her
mon. de cubilibus leonum. de montibus
pardorum. Vulnerasti cor meum soror me
a sponsa. vulnerasti cor meum. in uno
oculorum tuorum. et in uno crine colli tui.
Quam pulchre sunt mamme tue so
ror mea sponsa. pulchriora sunt ubera
tua vino. et odor unguentorum tuorum super
omnia aromata. favus distil
lans labia tua sponsa. mel et lac
sub lingua tua. et odor vestimentorum